

Martinus  
F. L. X. I. I.  
A. P. P. A. A.  
Michael. J. A. N. S. M. I. S. S. D. E. M.



*unad. typ. II*

LEGES  
PRO CONVICTORIBUS  
MENSARVM  
COMMUNIVM,  
IN COLLEGIO PAVLI.  
NO ACADEMIÆ LI.  
PSIENSIS.

*Recognita & denuo publicata ipso die  
XIV. Augusti Anno Christi  
M. DC. XXV.*

1707  
162



*Prostat apud Zachariam Schüverum jun.  
& Mattheum Götzium.*

422

LIBRARIUS  
PRO COMMISSARIIS  
MENSARVM  
COMMUNITATIS  
IN COLLEGIO PAULI  
NO. 10. 16. 17. 18. 19. 20.  
1615

*Arist. in Polit.*

ὅτι ἐστὶν ἄνομος, τὸ εὐ κείδῃ  
τὰς νόμους; μὴ παύσασθαι δέ!





L E G E S.

PRO CONVICTORIBUS  
MENSARUM COM-  
MUNIUM.



*Rescentibus indies temporum horum,  
Difficultatibus, atq; augete juveni-  
lis aetatis ferocia & perversitate, non so-  
lum Principis Serenissimi nova Consti-  
tutio, sed ipsa quoque necessitas nobis imponit  
curam diligentis & accurati respectus atq;  
animadversionis in eos, qui communium mensarum beneficio fruun-  
tur, ut severiore disciplina eosdem regendo, ac petulantiam coher-  
cendo efficiamus, ut beneficia Illustriss. munificentia in homines di-  
gnos & tales, de quibus bona frugis spes sit, conferantur. Quam-  
obrem visum est, sequentibus capitibus definire, quinam deinceps ad  
usum dictarum mensarum admitti debeant.*

I.

Quicumq; ergo cibum in hoc contubernio capere  
volet, eum ante omnia in doctrina Evangelica & religiosae  
pietatis, tradita in scriptis Prophetis & Apostolicis, ac  
repetita in libro Christiana Concordiae, breviterq; com-  
prehensa in Catechetica institutione D. Martini Lutheri,  
sacrae memoriae, nobiscum sincerè consentire, & conjun-  
ctum esse oportet. Ne igitur quisquam, nisi probè prius

A a

fidei

*Leges pro convictoribus*

fidei exploratâ confessione, ad hoc commune *suasitior* recipiatur, Inspector mensarum communium (apud quem expectantes sua nomina profiteri debent) modis omnibus providebit.

II.

Hinc erga Illustriss. domum ac familiam Sax. istius, secundum DEUM, beneficii largitricem benignissimam, ad gratitudinem perpetuam, procurando illius commoda, & avertendo omnia incommoda, quantum in ipso est, se obligatum esse sciat; idq; inter alia, tempore receptionis suæ, stipulatâ manu sanctè promittat.

III.

Nomen quoq; suum in libro Rectoris perscriptum, & sacramentum pro more sibi dictum esse; ad hæc præceptorem, secundum Academiæ statuta, se habere, & Collegium aliquod ædium scholasticarum inhabitare, vel loco honesto alibi in oppido degere, demonstrabit, ac planum faciet ante omnia, si locum inter convictores habere velit.

IV.

Promittet etiam futurus Convictor, non solum privatas, sed & publicas se prælectiones sedulo diligenterq; auditurum. Qua in re, ut arctius, in hac communi juventutis negligentia, ad faciendum officium adolescentes studiosi adstringantur in posterum, trimestribus singulis (secundum novam Principis Sereniss. constitutionem) inquisitio accurata fiet; ubi convictores singuli & consignatas, quas

### *Mensarum Communium.*

quas audiverint, prælectiones publicas exhibebunt; & illas sic frequentatas & auditas esse, tum Professoris publici testimonio, tum lectionum auditarum autographo, demonstrabunt. Qui id facere neglexerit, aut contumaciter recusaverit, is sibi locum in hoc convictorio non amplius relinqui posse, sciat.

#### V.

Sed & hoc præmittent, qui locum in hoc Convictorio experunt, disputationum, aliorumq; actuum solennium publicè indictis conventibus, præcipuè anniversariis atq; Ecclesiasticis illis congregationibus, quibus concio latina habetur in Templo Paulino, & eleemosyna ad sacri ministerii conservationem offertur; tum usitatis Parentationibus Divorum Principum Electorum; adhæc recitationi Legum & statutorum Academiae, introductioni ac commendationi Rectorum, frequenter & sedulo se interfuturos. Sciantq; universi, cœnaculum non prius apertum, nec cibum præbitum iri, quàm ejusmodi conventus & congregationes publicæ finitæ fuerint.

#### VI.

Qui igitur receptus hoc modo communem mensam accedit, is precium consuetum pro victu, sine morâ omni, in hebdomadas singulas Oeonomo prænumeret, aut prænumerandum Seniori mensæ tradat. Hoc qui non fecerit, is sibi locum in convictorio relinqui nullo modo posse, sciat.

#### VII.

Quemadmodum verò æquum est, ad victum hunc publicum

*Leges pro convictoribus.*

blicum admitti cunctos (si ita res eorum & conditio ferat) qui pietatis & doctrinae liberalis studiis sunt dediti in hac Academia; ante omnes autem alios, qui Electorali munificentia hic sustentantur, quive aliis tenuioris fortunae sunt, & tali subsidio maxime indigent: Sic ab eodem exclusos volumus omnes, qui sunt extranei, hoc est, alieni à Musis & liberalibus studiis; veluti sunt opifices qualescunq; mercatores & alii similes: quibus & illos adjungimus nostri Ordinis, quicumq; actu Studiosi non sunt, (veluti Amanuenses & alii, qui publica Auditoria non frequentant) item qui accincti gladiis, vel indecenti atq; inusitato amicti vestimentorum genere iacedunt, vel quovis alio monstroso corporis habitu, ferociam levitatemq; nostro ordine indignam praeseferunt; aut qui ad pugnas ac conflictiones se mutuo provocant, aut provocati comparent, aut dimicationibus illis quoquo modo assistunt, vel etiam spectandi gratiam intersunt. Sed & eos in posterum excludimus, quos convictores haecenus, ad occupanda absentium loca substituere soliti sunt; nisi praescitu permittuq; Inspectoris, talis substitutio fiat. Si quis verò fratrem aut popularem, videndi coenaculi & cibationis ergò, secum ad mensam adducere volet, ei semel hoc facere, non iterum, aut saepius, liceat.

VIII.

Quicumq; à mensa aliquandiu abfuerit (ut fieri saepe solet) eamq; Oeonomo apertè non resignaverit, ad precium is pro victu exolvendum non minus teneri se sciat, ac si praesens affuisset. Nec tenebitur ullo modo successor ad exolvenda Antecessoris debita; prout perperam haecenus & iniquè, in nonnullis Mensis fieri consuevit.

Si quis



*Mensarum Communium.*

**IX.**

Si quis convictorum, precio prænumerato, hinc abierit, ei locus ad Mensam unum (nisi notoria fortè invaletudo diutiùs eum detineat) relinquere in hoc convictorio potest. Ubi verò diutiùs abfuerit, senioris officium erit, sub pœnâ remotionis à Mensâ, talem absentiam indicare Inspectori, ut loco illius convictor alius suscipiatur. Si quis verò clam hinc discedens, aut quocunq; modò se subducens, locum suum in convictu deseruerit, nec Oecono<sup>m</sup>o satisfecerit, talis secundùm Academiae statuta, ter de more ad valvas Collegiorum publicè citatus & admonitus, si non comparuerit, ac contumaciter emanserit, relegationis pœnâ & infamiâ se affectum iri certò sciat.

**X.**

Ad procurandum victui necessaria, dispensatore sive Oecono<sup>m</sup>o opus est. Hujus officium quàm sit difficile & laboriosum, hisce præsertim moribus & temporibus, minime est obscurum. Par itaq; est, convictorum morigeratione & obsequio id potius allevari, quàm insolentia protervia & adversationibus exasperari. Nemini igitur ante cibationem in cellas, culinam, aliaq; loca, in quibus ipsi nihil est negocij, sese ingerere, aut Oecono<sup>m</sup>o, ejusdemq; operis & ministris, cibum apparantibus, molestiam exhibere ullam, concessum esto. Quicumq; enim dicto factove eis molestus fuerit, contumeliâ injuriâve eosdem affecerit, is non solum mensæ jacturam faciet: Verùm à Rectore quoq; & Decemviris condignam, pro delicti magnitudine, pœnam & animadversionem sibi expectandam esse sciat. Quod si quis fortè ab Oecono<sup>m</sup>o ipso, vel eidem adjunctis, quo-

*Leges pro convictoribus.*

quo modo laesum se existimaverit, is memor jurisjurandi præstiti de non vindicando seipsum, querelam ad Rectorem aut Inspectorem deferat, qui adhibitis Decemviris, cognitionem legitimam de illa suscepturus, jusq; & justitiam, pro re natâ, administraturus est.

XI.

Cavebit autem ipse Oeconomus, ne quenquam e numero expectantium, suo arbitrio, in convictum publicum admittat. Cura enim hæc propria Inspectoris est, providere sedulo, ut justo quisq; tempore locum sortiatur. Oeconomus verò, eo ordine atque serie, quæ Inspectori visa fuerit, expectantes suscipere, nec quenquam suo loco defraudare debebit.

XII.

Sub ipsum punctum horæ X. & V. vespertinæ fores cœnaculi panduntur: Quo tempore sine tumultu & indecente strepitu convictores ingredientur, locumq; sibi assignatum modeste & decenter (non abjectis aut depositis, ut à nonnullis hætenus fieri consuevit, palliis) singuli occupabunt. Ante & post cibum sumtū, cum pro aliis infinitis beneficiis, tum etiam pro hoc victu quotidiano serio gratias Deo agant, & auxilium ac gubernationem ab ipso fonte omnis sapientiæ petant.

XIII.

Cum preces dicuntur (id quod Lectoris officium inter cætera est) vel maximè attentos & modestos esse jubemus universos & singulos. Qui contrâ quidquam fecerit, is, tanquam

### *Mensarum Communium.*

tanquam numinis divini contemptor intolerabilis, à convi-  
ctu statim repellatur. Non enim solum impium ad DEUM,  
sed etiam ad homines turpe & nefas est, inter orandum &  
prælegendum è suggesto sacrarum literarum scripta, turbas  
dare quascunq; & aliis esse offensionem scandalove. Visum  
igitur fuit hoc etiam monere, ne quis ante dictam gratiarum  
actionem discedat à mensa; nève, cæteris orationi piæ &  
religiøsæ vacantibus, vel tecto assideat capite; vel strepi-  
tum excitet, quadras injiciendo catinis, garriendo, riden-  
do, bibendo, edendo, scalpendo, vel surgendo. Qui fecerit,  
severè punietur, nisi potius ut à mensa recedat, jubendus  
esse videatur. Lectorem etiam semper præsentem esse, ac  
munere suo, clarâ & distinctâ pronuntiatione, perfungi  
convenit oportetque.

### XIV.

Factis precibus, dapiferos mensarum jubemus juxta  
harum ordines recipere, deportare & reportare patinas si-  
ne strepitu, & cum incessu moderato. Ad quod ministeri-  
um omnes, exceptis duntaxat senioribus, sese obligatos  
esse sciant. In ipso verò prandendi cœnandiq; actu, mo-  
destos assidere mensis, attenteq; audire, quæ præleguntur,  
& ab omni strepitu, clamore, garritu, risuq; immodico, &  
quavis tumultuatione aliâ, penitus abstinere volumus. Con-  
victores universos & singulos, pœnam statuentes in immo-  
rigos, & petulantes, ipsam mensæ communis privationem

### XV.

Quò autem major in convictu pudor & verecundia  
usurpetur: deligendi in singulis mensis singuli, qui nomi-  
nentur Seniores, iiq; perpetui; alii item, permutatis vicibus,

B

in he-

*Leges pro convictoribus*

in hebdomadas singulas, qui unà cum Senioribus Inspectoribus sint, ac veluti Censores vitæ ac morum in mensis singulis. Quod officium malè hæctenus conjunctum cum munere Dapiferi, & novitiis Convictoribus, Legum ac Consuetudinum adhuc ignaris, in primo statim ingressu, præter rationem, obtrusum est. Hujus autem utriusq; (Senioris & Inspectoris) officium erit, ut decori & modestiæ sint custodes, suisq; Commensalibus bono exemplo præeant; in leges hæc peccantes, amice castigent, inq; viam reducere studeant: Contumaces & insanabiles, adhibito Oeconomo, Magistratui Academico aut mensarum Communium Inspectori denuncient, neq; ad petulantiam ullius conniveant; ne & ipsos vel ab hoc munere, vel etiam mensa removeri necesse sit.

XVI.

Schedas conspiratorias, chartasq; famosas quascunq; legibus Academicis severissimè prohibitas esse, neminem ex nostris later. Tales igitur qui affixerit sparseritvè in Convictorio publico, aut sparsas lectasq; cuivis alteri dederit; nec statim aut Oeconomo præsentit, aut Inspectori mensarum Communium, aut ipsi etiam Rectori tradiderit; in eum non modò pœna Remotionis à mensa, sed etiam Relegationis, imò Exclusionis in perpetuum, constituta est.

XVII.

Considerare decet omnes, quæ sit hoc nostro tempore rerum omnium ad vitam & victum necessariorum, non difficultas modò, sed etiam penuria. Nemo igitur in hoc contubernio quicquam utensilium, ut sunt mantilia, mappæ, patinæ, orbes, amphoræ, rumpat, scindat, frangat,

gat,

*Mensarum Communium.*

gat, aut quovis modo corrumpat alienetve: Nemo item potius aut falis profusione temeraria, aut quavis alia ratione quidquam damni rebus communibus afferat. Idq; ut diligenter in posterum observetur, inprimis Senioribus mensarum injungimus serio; qui & dehortabuntur convictores ab ista perulantia & nocendi libidine, & contumaciter delinquentes Magistratui denunciabunt, sub poena amissionis mensae.

**XVIII.**

Multò minus ferendus est puerorum, sive Convictorum illi, vel quorumcumq; aliorum famuli sint, pra foribus coenaculi & culinae aut in ipso quoq; coenaculo promiscuus accursus, sive colluvies potius foeda, panes & suppellectilia suffurantium auferentiumq;. Hos igitur ut domi relinquunt, detineantq; singuli, qui Illustriss. hac munificentia gaudere cupiunt, serio mandamus. In his namq; cunctis, famulorum delicta, dominos scire volumus, ipsis, quorum famuli sunt, luenda esse.

**XIX.**

Symposia quoq; ac comportationes, quae hactenus de pecunia ex mulctis, aliisque collectis, à nonnullis post cibum sumtum, cum in coenaculo, tum extra hoc, in Collegiis fieri consueverunt, iustis & gravibus de causis, omnino tollimus, prohibemusq; severissime: Et vetamus simul, fercula à quoquam efferri extra coenaculum, ad privata convictorum Musea; quod à nonnullis, propter ista Symposia, antehac factitatum fuisse scimus. Quae res & Oecono cura erit, ne tale quid fieri permittat, & Convictoribus ipsis, ne quid hujusmodi flagitent ab Oecono; nullo minus per

*Leges pro convictoribus*

Vim è publico loco cibos auferant: poena in delinquentes sancita est mensæ privatio.

XX.

Quia verò partim ex Illustriss. munificentia, partim aliorum ordini nostro faventium liberalitate aliquot vasa cerevisiæ mensis donata sunt, in his epotandis cum servari modum placet, qui Inspectori & Oeconomo, pro Convictorum multitudine & temporis ratione, commodissimus videbitur; quem à convictu nunquam abesse oportet. Nemo verò alium, qui vel negociis avocatus, vel quòd potatione non delectetur, recedit, strepitu, sibilo, aliove gestu indecente quocunq; excipiat, quemadmodum antehac factum aliquando summâ cum turpitudine, scimus: Cum reperti sint, qui non solum quadris ligneis, sed scamnis quoq; & sedilibus, furiosorum instar, mensas pulsarent ac concuterent.

XXI.

Leges veteres mensarum singularum quibus hoc præsertim agitur, ut ad Symposia nummi colligantur, profus antiquatas & sublatas volumus; Prohibemusq; severè, ne vel novitii convictores pro introitu, vel ii, qui recens veniunt in Academiam, pro initiatione (ut vocant) studiorum Academicorum, vel quicunq; alii, in dandis Natalitiis aut aliis quibuscunq; exactionibus (quemadmodum hætenus perperam fieri consuevit) supra id, quod de novo communibus sententiis permissum est, deinceps ullo modo graventur. Qui contra fecerint, sive in convictorio publico, sive in privato aliquo Musæo, aut loco quocunq; alio

*Mensarum Communium*

alio commissa res sit, in eos pœna remotionis à convictu publico in perpetuum sancita est.

XXII.

Sunt quandoq; hætenus, ut notius est, quàm expedit, excitatè cum in honestissimo hoc convictu turbæ & tumultuationes, tum in digressu ab eodem, in viciniâ auditæ vociferationes ejusmodi, quæ extremè non solum dedecorant eos, qui Mensarum sacra colunt, ne dicamus, qui Christi sanctissimum nomen profitentur, beluis magis quàm hominibus, mente ac ratione præditis convenientes: sed totum quoque nostrum ordinem fœdissimâ labe aspergunt, deformant, contaminantq;. Hanc giture detestandæ barbariæ petulantiam hoc peculiari statuto prorsus interdictam & veritam volumus: Constitutâ & sancitâ, in violantes illud, pœnâ exclusionis à convictu in perpetuum.

XXIII.

Atq; ut ea, quæ de publicâ disciplina, in hoc convictorio, diligenter & accuratè deliberata, ac communibus sententiis, consilioq; maturo constituta sunt, rata à cunctis habeantur, in violatâq; serventur in posterum; ad obedientiam hisce Legibus præstandam, jurisjurandi religione volumus adstrictos Convictores universos & singulos. Id quibus commodum visum fuerit, locum in hoc convi-

torio obtinebunt: Quibus diversum placue-

rit, alibi sibi mensam & victum

quærere poterunt.

B 3

Formu-




*Formula jurisjurandi, pro convictoribus  
Mensarum Communium.*

**I**ch N. N. Schwere / Demnach  
vom Magnifico Rectore vnd den  
Herren Decemviris der Löblichen Uni-  
versitet allhier / Ich auff mein fleissig  
Bitten zum Convictore der gemeinen  
Tische / vmb gesatztes wöchentliches  
Kostgeld / auffgenommen worden / das  
ich die publicirte, im Convictorio öffent-  
lich angeschlagen / jedem Tisch commu-  
nicirte vnd dahero mir wolbekandte  
heilsame vnd nötige Leges Mensales, in  
allen Puncten vnd Clausuln stet / fest  
vnd erewlich halten / denselben gehor-  
samlich nachleben / darwider nichts  
tentiren noch vornehmen / Alles was zu  
erhaltung guter disciplin, Tischzucht  
nötig / vnd dienstlich / vnd auch einem  
Gott



Gottfürchtigen/der reinen Augspurgis-  
schen unverenderten Confession zuge-  
than Erbar Studio wol anstehet vnd  
gebühret/ Wir bestes fleisses angelegen  
seyn lassen/vnd befördern/ Hiegegen al-  
les Tumultuiren/ auffwigelens vnd  
anderes vnziemlichē Vornemens/nit  
allein selbstn mich enthalten/sondern  
auch bey andern solchs nach möglichkeit  
abwenden vnd verhüten helfen  
wil/Als mir Gott helffe  
vnd sein Heiliges  
Wort.

E N D E.




Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.







Yc 6668

ULB Halle 3  
002 639 041




82

13. 19. 1200 jds. an jell

VD 77

m.c.





PR  
M E  
IN C  
7  
Recog  
Pr



M  
LI.  
170  
163

